

/97r/ .xliii. OMELIA IN DIE SANCTO PENTECOSTEN .

Factum est fratres karissimi cum impleta essent omnia quę de aduentu domini in carne predixerant prophete . Id est de natuitate eius et baptismo . de temptatione eius a diabolo post iejunium in deserto . de passione et cruce de resurrectionis eius gloria in carne . In qua passus fuerat pro humano genere . de conuiuio et conlocutione eius cum apostolis . quę prę omnibus eligere dignatus est . quibus reuelaret secreta cęlestia . de signis et prodigiis quę uentura erant ante consummationem seculi . De benedictione eorum in bethania et ordinatione . Post ascensionis eiusdem domini iesu christi gloriosę cum carne in alta cęlorum triumphum . cum adorassent humiliter apostoli dominum ascendentem . reuersi sunt in Hierosolimam a monte qui uocatur oliueti .

/97v/ qui est iuxta hierusalem . Haec omnia secum ammirantes quę uiderant . et erant semper in templo laudantes et benedicentes dominum . et promissa patris expectantes quę iesus promiserat eis . manducans et bibens cum illis et docens eos de regno dei .

Quibus omnia hęc misteria reuelauit quę iam sunt prędicta . de aduentu eius primo in carne . qui nunc quidem impletus est . Ad extreum de secundo aduentu eius cum potestate magna et maiestate . quem nunc expectamus explanat eis . In quo iudicaturus est omnes gentes uiuos ac mortuos . id est iustos et peccatores . de quo secretius et familiarius hortatur et ammonet eos dicens . Uidete ne quis uos seducat . muliti enim uenient in nomine meo pseudo christi . et pseudo prophetę dicentes . Ego sum christus . Audituri etiam estis preolia . et opiniones proeliorum . Cauete ne turbemini . oportet enim haec fieri . sed nondum statim finis . Et cetera . Haec autem omnia misteria . et alia multa ínnumerabilia discipulis a domino sunt

reuelata . A die sollemnitatis pasche . usque ad diem ascensionis eius ad caelos ; in quo nub`e`s uisibiliter coram ipsis illum suscepit . In qua etiam credimus eum esse uenturum . quadraginta ergo sunt dies et decem . A die paschæ in quo dominus sua uirtutute et potestate a mortuis resurrexit . usque in diem solemnitatis pentecosten /98r/ tecostes . Qui interpretatur quinquagesimus dies . in quo dominus legem tradidit in monte sinai famulo suo moysi scriptam digito dei . et in quo etiam spiritus sanctus secundum promissionem patris de celo missus . sicut ignis super apostolos descendit . Ut purgaret eos a uitiis et diuinorum scripturarum repletet eloquii . sedit que supra singulos eorum . id est repleteuit corda eorum . sicut scriptum est . Cum complerentur dies pentecosten erant omnes discipuli pariter in eodem loco . Et factus est repente de celo sonus tamquam aduentoris spiritus uehementis . et repleteuit totam¹ domum ubi erant sedentes . Et apparuerunt illis dispergitæ lingue . quæ in edificationem turris babiloniæ post diluvium diuisæ fuerant . quia tunc una uox erat id est una lingua . quæ humana locutio dicebatur . et nunc ebrea nuncupatur . Et repleti sunt omnes spiritu sancto . et loquabantur uariis linguis magnalia dei . prout spiritus sanctus dabat eis loqui . De quo predixerat eis saluator . Non enim uos estis qui loquimini . sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis . Iсти sunt autem decem dies qui uocantur sabbata sabbatorum . in quibus dominus ut diximus tanta misteria et mirabilia post resurrectionem a mortuis coram discipulis suis operatus est . Factum est autem ianuis clausis ubi erant apostoli propter metum iudeorum . Venit iesus stans in medio eorum et dixit . Pax uobis . et insufflauit dicens eis . Accipite spiritum sanctum . et sic uidet in ueritis detinebuntur . Primo igitur apostoli in secreto et priuatim acceperunt spiritum sanctum . secundo autem manifeste et uisibiliter

¹ totam] corr. from totum

coram omnibus gentibus quę sunt sub cęlo . Multi enim illuc
prouidentia dei conuenerant ad huius diei magni solem
nitatem . quia maxime colebatur ín lege . ut uiderent
mirabilia dei . Hodie enim acceperunt apostoli spiritum sanctum secundum
promissionem domini ad eosdem dicentes . Non relinquam uos
orphanos . quia cum abiero ad patrem . mittam uobis spiritum para
clitum qui uos ammonebit omnia quę audiui et uidi apud
patrem . quem mundus accipere non potest . Vos autem non estis
de hoc mundo . quia opera eius non uultis . Haec igitur
omnia cogitantes fratres karissimi . mundemus nos ab omnibus²
/98v/ ínquínamenti carnis et spiritus . ut spiritum sanctum accipere possimus sicut
apostoli . quoniam non est susceptio personarum apud deum . Id est non speciem
desiderat sed actus . Tunc autem eudem spiritum accipere mere
bimur . si opera et desideria et actus geramus . quos apostoli fece
runt . ut de nobis sicut de ipsis testimonium dominus proferat
dicens . Uos non estis de hoc mundo . Id est quia non consentitis
ei³ . si de hoc mundo essetis . mundus quod suum esset utique
diligeret . sed ideo mundus uos odit . quia diligitis me . et non
sum de mundo . quia opera eius contemno . Quid ergo manifes
tius et clarius hoc testimonio . quoniam omnes qui hoc seculum dili
gunt christum non amant . Et qui amant christum . oderunt
hunc mundum . Et qui propter christum oderunt hunc mundum .
Spiritum sanctum pariter sicut apostoli accipiunt hic autem dies quinqua
gesimum post pascha qui est hodie . plenissimus numerus
est et perfectissimus . quia remissionem peccatorum demonstrat .
et formam futuri seculi et sanctorum omnium plenitudinem conti
net . In quo fuit prima predicatio apostolorum . post ascensionem
domini ad cęlos . per aduentum sancti spiritus de cęlis uenientis . per quem
miranda erat diuisio linguarum . ad omnes gentes quę erant

² xiii appears in pencil below this word.

³ ei] corr. from eis

sub caelo . Hodie enim audierunt unusquisque de una et ae-
-braica⁴ apostolorum lingua . propriam linguam in qua nati erant . Par-
thi . et medi . et elamite . et qui habitant mesopotamiam . Iudeam
et capodociam . Et ceterae gentes quę erant ín hierusalem ex omni
natione quę sub cęlo est . Et ita accipiebat unusquisque lin
linguam aebraicam ex ore unius cuiusque apostoli . quasi propria
lingua esset ín qua natus erat . Sicut diuina scriptura dicit . Lo-
quebantur uariis linguis apostoli magnalia dei . prout spiritus
dabat eis loqui . Stupebant autem omnes et mirabantur
/99r/ ad inuicem dicentes . quidnam uult hoc esse . Alíi autem irridentes
eos propter inuidiam dicebant . quia musto pleni sunt isti .
Petrus igitur stetit constanter cum undecim apostolis ín medio
eorum . et eleuauit uocem suam dicens . Uiri iudei et qui habita-
tis hierusalem uniuersi . hoc uobis notum sit . et auribus percipite
uerba mea . non enim ut uos estimatis isti aebrii sunt .
Cum sit hora `tertia` diei . sed hoc est quod dicit dominus per prophetam iohel dicens .
Effundam de spiritu meo super omnem carnem et prophetabunt filíi uestri
et filię . et iuuenes uestri uisiones uidebunt . et seniores uestri som-
nia somniabunt . Et cetera . Hodie enim donum salutis
aeternę dedit dominus de spiritu sancto per lauacrum regenerationis . super
omnes carnes et animas credentium . Ipse⁵ enim ut audierunt
uerba salutis aeternae a petro et ceteris apostolis . conpuncti sunt
corde et dicebant eis . Quid ergo faciemus uiri fratres . ostendite
nobis . Petrus uero ait ad illos . pęnitentiam agite . et bapti-
zetur unusquisque uestrum ín nomine iesu christi . in remissionem
peccatorum . et accipietis donum spiritus sancti . Illi itaque recepto hoc
uerbo eius baptizati sunt . et adiectę sunt in illa die ani-
mę fere tria milia ad exercenda dei opera secundum fidem . et perse-
uerabant cotidie in doctrina apostolorum laudantes et bene

⁴ The pen was trimmed between this word and what follows.

⁵ Ipse] corr. to ipsi by a later scribe

dicentes dominum . Et in alio loco dicitur . Quod multi ex iudeis
ut audierunt uerbum salutis crediderunt . Et iterum factus
est numerus uirorum in deum recte credentium . fere quinque
milia . Haec autem omnia misteria et alia multa in die quinque
gesima que pentecostes dicitur . Et in aduentu spiritus sancti
de celo uenientis . Consummata sunt atque impleta . qui ex
patre filioque procedens ad conseruandum nos descendit .
Et commonet nos omnia quecumque a patre nobis donantur .

/99v/ De isto quippe spiritu sancto dicitur . spiritus eius ornauit celos . Ornamenta enim
celorum sunt uirtutes predicantium . que ornamenta paulus apostolus
enumerat dicens . Alii quidem per spiritum datur sermo sapien-
tiae . alii sermo scientiae Alteri fides in eodem spiritu . Alii gratia
sanitatum . Alii operatio uirtutum . alii prophetia . alii discretio
spirituum . alii genera linguarum . alii interpretatio sermonum . Hae
autem omnia operatur unus atque idem spiritus . Diuidens singulis prout uult .
quoniam ipse est spiritus rectus et purus . subtilis et sapiens sanctus et omnipotens .
spiritus ueritatis et intellectus . In quo omnia . per quem omnia . et in ipso
sunt omnia . Ipse est qui implet omnem terram et celos celorum .
et omnia que sunt super ipsos . Hic igitur spiritus quem apostoli acceperunt . sta-
bili mentum est . angelorum et archangelorum patriarcharum uirtus .
et prophetarum inspirator . Et sanctorum omnium firmamentum qui omnia
implet . uisibilia atque inuisibilia . qui ex ex patre et filio proce-
dens . uelut quedam concordia est patris et filii . nec etate iunior .
nec potestate imferior . nec uirtute minor . Sed per omnia trinitas
sunt atque unitas . sine fine atque initio . Unius potentiae
et substantiae . Vnius maiestatis et diuinitatis atque uirtutis .
In tribus personis consistens . Id est pater et filius et spiritus sanctus . qui est
deus benedictus in eterna secula . Benedicat nos ergo pater sanet
nos filius . replete nos spiritus sanctus . hic in eterna secula seculorum amen .